Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 3041

Quelle:
Copyright:

carnationis tue in ligno crucis mori uoluiſti ut per tuam mortem humanum genus a perpetua morte liberãres. preſta per inuocationem nominis tui ut hęc aqua attactu ipſius

✠

ſanctę crucis ſanctificata. famulo tuo N. quem ardens febris grauiter excruciat. proficiat ad corporis animeque ſalutem. quod ipſe preſtare digneris qui &c. Altera: *Domine ihesu christe qui pro noſtra redemptione per paſſionem tuam*

✠

hoc lignum ſancte crucis ſanctificare uoluiſti. concede propitius ut quicumque hanc aquam eiusdem ſan-

✠

cte crucis tactu ſanctificatam hauſtu perceperunt. ab omni infirmitate mentis et corporis abſoluantur. qui cum &c. Integras adjeci, cum neque apud *Gretſerum de Cruce*, neque in *Martenii antiq. Eccl. Ritib.* neque in *Gerberti Monum.* quidquam de hac Benedictione repererim. *Benedictio in Feſtiuitate Sanctae Mariae. Murat. col.* 373. *Gerb.* p. 339. *Benedictiones Palmarum.* I. *Deus omnipotens qui pro ſalute* &c. II. *Omnipotens ſempiterne deus. qui in diluuii* &c. III. *Omnipotens aeterne deus mundi creator* &c. IV. *Deus qui filium tuum ihesum christum* &c. Eſt Praefatio *Gerb.* p. 64. paullum mutata. V. *Omnipotens ſempiterne deus, qui de cælis* &c. VI. *Deus, qui diſperſa congregas* &c. VII. *Adhuc petimus domine Sancte pater* &c. Has omnes Benedictiones ab Autoribus *citt.* abeſſe deprehendi. *Benedictio Ferri iudicialis.* Paullo brevior illa, quam *Martenius* produxit *Antiquor. Eccl. Rit.* L. III. c. 7. p. 491. hujusque tenoris: *Benedic domine per inuocationem ſanctiſſimi nominis tui. ad manifeſtandum iudicium tuum hoc genus metalli. ut omni demonum falſitate procul remota. ueritas ueri iudicii tui. fidelibus tuis manifeſta fiat. per dominum. Benedictio dei patris. et filii. et ſpiritus ſancti. deſcendat ſuper hoc ferrum ad diſcernendum iudicium dei. Amen.*

IX. *fol. ult.* Adnexae ſunt *Miſſae* duae. Prima quidem *in uigilia Epiphaniae* una cum indicatione *Epiſtolae* et *Evangelii.* Haec habetur apud *Gerbert.* p. 15. Oratio tamen poſt Comm. *Caeleſti lumine* &c. apud illum ipſa die *Epiphaniae* in *Miſſa Ambroſ.* occurrit. Altera *in Dedicatione Eccleſiae* eſt itidem apud *Gerb.* p. 226. ſed nobis in *Benedictione* deficit, quae integra eſt apud *eund.* p. 341.

DCCCXXXII.

Codex membraneus lat. Sec. XVI. ineuntis Folior. 252. f. max. continet ſacras precationes inter Miſſarum ſolennia decantari ſolitas, videlicet *Kyrie*, *Gloria*, *Credo*, *Sanctus*, *Agnus Dei*, modulis muſicis pluries a pluribus Muſurgis incluſas, et in *quinque* linearum ſyſtemate eleganter exaratas. Muſurgorum haec fere ſunt nomina: *Jac. Barbirianus*, *de Orto*, *Alex. Agricola*, *Jaſpar*, *Josquin*, *Verbonnet*, *Bruinel*, *Yzaac*, *Lom-* 34